

1850

h. XII, 12 Qk. XII, 14.



C.D.

HENRICUS AUCEPS
HUNGARORUM PROPE
MARTISBURGUM
VICTOR

In Disputatione publica propositus
a

M. CONRADO HÜLSIO,
Martisburgensi,

Respondente

CHRISTIANO Ludwig / Landshuta-Siles.
d. 8. Maj. 1686.

LIPSIÆ

Literis JOHANNIS GEORGI.

44







C. D.

QUòd si omnis historia & proffit & oblectet, quanto potiori Jure emolumentum pariter atqve oblectamentum sibi vendicabit Historia Patria! Hanc proinde præ illâ nosse debere sine absurditate, opinor, nemo negabit. Sicuti enim parùm gloriosum habetur Germano, Galliam, Italiam cæterasq; alio calentes sole terras invisuro, suam nondum permigrasse patriam, neqve cognovisse, quæ in aulis Principum aut reliquâ Germaniâ notatu digna solent conspici: ita in amplissimum historiâ campum exspatiari, neglectis interim aut parùm observatis rebus Patriis, & incongruum & infructuosum æstimatur. Hæc apud animum reputans, dum in eò sum, ut nunc ex historiâ exercitium aliquod pro cathedra iterum exponam, illud, quod titulus offert, præ aliis seligere debui, probe memor, quantum Patriæ ego sim obligatus. Est autem factum illud inter ejus ævi plura alia longè celeberrimum, dignum quod ab antiquarum historiâ peritior tractetur; sed cum ejus tractatio mihi relicta esse

esse videatur, vires, exiguas licet ac tenues, periclitabor meas, spe dulci fretus, quamvis benevoli Lectoris voto & expectationi labor ex asse non responderit, non tamen omnino omnia fore ingrata. De methodo ac ordine non adeo fui sollicitus: libuit enim, quæ libertas est mea, totam Dissertationem duabus sectionibus absolvere; quarum prima terminos, ut sic loquar, simplices exponet, vel, præmittet pleniorum partium disceptantium campi; insuper Martii cognitionem, quavisnam scilicet Henricus, qui Hungari olim fuerint, & qualis Urbs sit Martisburgum; altera verò terminos in complexo, seu, Henricum Hungarorum apud Martisburgum Victorem sistet & considerabit. Deus cœpta secundet!

Breviarium Disputationis.

IN Sectione primâ Termini simpliciter exponuntur iusto ordine, adeoque initium fit ab Henrico Aucupe, cuius enarrantur laudes in genere §. 1. Parentes & Nomina §. 2. Educatio §. 3. Conjugium §. 4. Dives patrimonium §. 5. Laudabilis Reip. administratio §. 6. Electio in Imperatorem à Conrado I. facta §. 7. Electionis Cause impulsivæ §. 8. Electionis Solemnia §. 9. collapsi Imperii restitutio §. 10. Elogia specialia, tandemque insecuta mors. It. Versus mnemonici, totam Henrici vitam complectentes. §. 11. Ab Henrico fit progressus ad Hungaros §. 12. Hungariæ varii Incole §. 13. Ultimi, Hunni & Fuhri seu Ugri §. 14. Hi presentis loci §. 15. Campus Martius seu Martisburgum describitur, cuius recensentur felicitates præteritæ ac presentes §. 16. Origo & nomen §. 17. Originis assertæ comprobatio §. 18. Eiusdem oppugnatio à Dressero facta cum responsionibus ad argumenta, propriæ sen-

222

*tentia confutatio, §. 19. Urbis incrementa variis tamen casibus obnoxia
 §. 20. Ejus restauratio & ampliatio ab Henrico & Ottone facta cum
 accessione Episcopatus §. 21. Episcoporum celebriorum catalogus. §. 22.
 In Sectione altera sistitur Henricus, ut Hungarorum propè Martisb. Vi-
 ctor, adeoque fit accessus ad ipsum gloriosum praelium, cujus Antecedentia,
 Concomitantia, Consequentia notentur. §. 23. Antecedentia remo-
 tiora sunt crebra Hungarorum incursiones in Germaniam, frequentate
 sub Ludovico IV. §. 24. Sub Conrado I. §. 25. Remota, sub Imperii
 Henrici I. auspiciis, ubi primum consultatio de expeditione §. 26. deinde
 ipsum factum, it. transactio ac mutuum pactum inter Henricum &
 Hungaros notetur §. 27. observandum discrimen hujus praelii cum sub-
 sequente majori anno 933. §. 28. Proxima, Consultatio Henrici de me-
 delâ futura calamitatis §. 29. Concilium eam in rem coactum, ubi po-
 pulus sui officii admonitus est §. 30. Tributorum annuorum renunciatio
 Cantisque villatici oblatio §. 31. Ex eo irritati Hungari bellum in Sa-
 xones decernunt, & in itinere Dalamancis fiunt graves §. 32. Impera-
 tor de adventu hostium audiens conscribit militem & ad pugnandum
 excitat. §. 33. Sequuntur Concomitantia. Exercitus Hungarici di-
 visio, cujus pars in Thuringiâ statim cesa est, altera Martisburgum ob-
 sidet §. 34. Obsessio urbis Imperatori annunciatur, nuncioque audito
 opinione citius Hungarorum exploratoribus apparet §. 35. Obsessionis
 solutio, Hungarorum repeditio, Imperatoris persecutio, castrorumque ex
 utraque parte metatio. §. 36. Adventus Copiarum auxiliarium, to-
 tiusque exercitus perlustratio §. 37. Causa, cur tot tantique Principes
 comparuerint §. 38. Imperator aciem decernit, auxilium divinum implo-
 rat, facit votum abroganda Simonia, purgat castra, & milites denuò ad
 pugnandum excitat §. 39. Hungari suam quoque aciem ordinant. Im-
 perator insidias struit. Ipsius saluberrimum consilium militi suppedita-
 tum. Tessera militaris §. 40. Ipsa pugna. Christianorum Victoria. Hun-
 garorum cedes & fuga. §. 41. Consequentia sunt Imperatoris 1) gra-
 tiarum actio §. 42. 2) in occisis humanis captivisque liberandis cura
 & clementia, 3) Hungarorum non iterata regressio §. 43, 4) triumphus
 Τωρεαφία, 5) Imperatoris Magnificentia 6) Insignis ejus laus & de-
 predicatio §. 44. 7) Simonia extirpatio §. 45. 8) Torneamentorum
 institutio, quæ tamen fidei maximè suspecta est §. 46. Epilogus. §. 47.*

SECTIO PRIMA.

§. I,

AB Henrico Aucupe, insigni victore, invictoq; Imperatore primordia Dissertationis nostræ sunt facienda. In cujus laude summoperè de prædicandâ cum magnus animadvertatur Scriptorum consensus, teste *Boeciero in Henrico*, iniquè ageremus, si eam hoc demum tempore & locò omni silentio præterire velimus, quo præclarissimum ipsius factum, & plusquam heroicam Virtutem in crudelissimorum hostium suppressione admirari & cum admiratione ex vetustissimis rerum Saxoniarum monumentis producere & quantum quidem pro virium nostrarum modulo fieri poterit, delineare constituimus. Omnia quidem cum laude à tantò Principe gesta, (præclarè verò gesta sunt omnia) recensere, nec instituti, nec temporis chartæq; patitur ratio, sufficiat proinde ea jam adducere, quæ ad collustrationem & pleniorè præsentis historiæ notitiam non parum facere sumus arbitrati. Id verò ut debito fiat ordine, utpote quem magnam omni afferre historiæ lucem scimus, totum ejus vitæ cursum cum primis annis cœptum & in ætate omnino grandi finitum breviter recensebimus.

§. II. Debet verò optimus hic Princeps natales suos heroica potentiq; Virtute claris Parentibus, Ottoni, Duci Saxoniarum ex gente Witekindi, Patri, nobiliq; matri, dictæ Hedwig, ut habet *Chronicon Ditmari*; nam qui Ludgardam Imperatoris Arnolphi filiam, matrem denominant, adeoque cum *Hornio* Jure Successionis, eò quod ex familiâ Carolina esset, Imperii dignitatem competiisse Henrico ejusque Successoribus autumant, injurii sunt in veritatem historicam, judicio *Excell. Nostri Felleri in animadvers. ad Horn.*

Q. h.



Orb. Imp. pag. 32. Ab his Parentibus Henrici nomen accepit, cuius ille in Imperatorum classe primus est. Postmodum alia ipsi injuncta sunt cognomina; inter quæ palmarium est, quod *Auceps* dictus est; cuius denominationis origo non una ab Historicis datur. *Sifridus Presbyter & Compilatio Chronologica seu Chronica compendiosa* talia habent verba; Henricus dicebatur Auceps, quia dum caperet aviculas renitens electus est. Alii verò cum *Krantzio Lib. 3. Saxon. Cap. 4.* tradunt, Aucupem dictum, quòd in Adolescentiâ, cum Pater rebus præesset, plurimum indulgeret Aucupiis. Ast quocunq; demum tempore Auceps dictus est Henricus, satis est scire, ab Aucupio appellationem hanc illi esse injunctam. Non tamen plane præmittendum est cognomentum *Humilis*, quo sui ipsius & rerum secundarum, quibus corrumpi alias magnos viros constat, victor declarabatur, *vid. Boecler. loc. cit.*

§. III. Nominis impositionem insecuta est laudabilis Educatio, quæ tantum in Principe tam bonæ indolis effecit, ut heroicæ Virtutis suo tempore exercendæ matura ediderit specimina, quippe arboris instar fructiferæ excrevit & de die in diem majora fecit incrementa, tum præcellentis prudentiæ, tum gloriæ ex omnium bonarum Virtutum exercitio oriundæ, prout de educatione ipsius testantur & loquuntur *Ditmarus Episcopus Martisburgensis ab initio, Wtichindus, Chron. Spir. Lib. 5. cap. 1.* Et postmodum idem *Wtichindus* sigillatim recenset pietatem ejus, liberalitatem, facilitatem magnæ gravitati junctam, Prudentiam, Fortitudinem, formæ dignitatem, deniq; Regias has dotes domi forisq; consecutam Auctoritatem perinsignem.

§. IV, Annis pubertatis egressus Princeps prima vice conjugali se obstrinxit vinculo *Hatburgæ* filiæ *Ervini Comitis Alteburgensis* (h. e. *Martisburgensis*, *Alteburgum*

gum enim, quod hodiè suburbium est, ipsius tunc urbis partem constituebat, teste *Georg. Hornio in Not. Margin. ad Proem. Chron. Ditmari.*) quam post obitum prioris mariti Monialem factam, ob egregiam formam multis ipse verborum lenociniis è cœnobio eduxerat. Ex quâ cum suscepisset filium cognomine *Tamm* (aliis dicitur *Danckver-dus*) divortium cum eâ facit ejus tædio captus & persvasus à Sigismundo Halberstadiensi Episcopo, quod non posset eam in conjugio retinere, quoniam Deo semel consecrata esset, *Conf. iterum Ditm. Chron. L. I. in Henric.* Postea ad secunda vota transiit uxorem ducens omni fœmineo decore clarissimam, *Mechtildem*, Theodorici Ringelheimensis Comitis, cujus stirpem à Witekindo M. Saxonum Ex Rege arcessit *Witekindus*, *Monachus Corbejensis*, filiam. Ex quâ fœcundus numerosæ prolis Pater factus est, trium scilicet filiorum & filiarum quinque, ex quibus clariores tantummodo hîc recensere libet, nimirum Ottonem I. & Magnum, Patris in imperio Successorem, *Mechtildem*, primam cœnobii Quedlinburgensis Abbatissam & *Adelheidem* Hugonis Comitis Parisiensis uxorem, ex qua natus est Hugo Capeto, tertiæ familiæ Regiæ in Gallia, quæ Capetingorum est, fundator.

§. V. Magnæ sunt, quæ ex domo thoroq; Henrico nostro contigere, felicitates. Sed his accesserunt plures aliæ. Patre namq; defuncto amplas nimis ac spatiosas hæreditario jure accepit ditiones ac provincias, quas deinceps liberâ planè potestate administrare primus in Saxoniam cœpit. *Chron. Spir. L. I.* Id enim quod *Christophorus Lehmannus L. 4. c. 1. ex Beato Rhenanò, Munstero aliisq;* animadvertit, nimirum ab Henrico & sub Henrico Aucupe magnam esse factam commutationem status regiminis in Imperiò, ita ut Duces cæteri q; Principes ac comites, dignitatum & officio-

officiorum ac Magistratum hætenus nomina, proprii Juris potestatem & possessionem hæreditariam notare cœperint, à fide historicâ fermè alienum est; dum alia nisi unici Henrici exemplum ab *αἱσιολογίας* ejus temporis Historicis vix suppeditantur; licet negandum non sit, sub Conrado multos Principes potentia & opibus increviffe, hoc tamen literis non habemus proditum, in plenam illos sese afferuisse libertatem, *vid. Bœcler in Henricò pag. 281.* Nec mirum, quia defuit illis fortuna cœptorumque felix exitus, Henrico singulari fato concessus. Ut pote notum est Conradum ad Imperii fasces promotum multos Germaniæ Principes tantæ sibi collatæ dignitatis habuisse æmulos, quorum quidem cæteros feliciter ille & strenuè compefcuit, Henricum verò nec vi nec dolo suppressere potuit, imò vires ejus & potentiam ita sensit Conradus ut exercitu suo, qui Martisburgum, sedem tunc Imperatoriam obsidione cinxerat, fugato funditusque fermè deleto, prout factum narrat *Aventinus*, illæsum postea Henricum suæque libertati relinquere sit coactus.

§. VI. Postquam verò Henricus alieno se jugo subtraxit & libera potestate regnare cœpit, non ex illimitatâ aliquâ licentiâ aut inordinato imperandi appetitu, sed cum prudentiâ & insigni Reipublicæ emolumento hanc administrare voluit: Quandoquidem Patriæ non tantum suæ bonis legibus prospexit, sed & postea cum Imperator esset factus multum Consilii, Virtutis, Operis, ad instaurandam & ex bellis civilibus recreandam paceque perornandam Germaniam attulit. Equidem quod ad ipsas Legum conceptas voces attinet, fatendum est, parcè eas ad nos transmisisse Historiam. Et quanquam aliquas recitet *Goldastus Tom. I. Constitut.* facile tamen ex ipsa recitatione apparet, illas non esse conceptas stylo & verbis istius

JIV 1

B

fecu-

seculi. In hunc censum referenda est & illa constitutio, quæ jussit ex militibus, qui in villis erant, nonum quemque in oppida collocari, cui reliqui agrum colendo victum, quærant, ipse verò teneatur, quoties opus esset, militare, vel, quod ab aliis refertur, postquam ex pagis oppida fecit munita Henricus ac Germaniam in tres status, Nobiles, Cives & Rusticos divisit, voluit, ut Nobiles essent exempti ab omnibus oneribus, suo tamen sumtu militarent; quinque cives tenerentur alere sextum, octo rustici nonum in militia, qui ab eo tempore vocabantur *der Ausschuss* vid. *Hornii Orb. Politic. p. 15. & 16.* Hoc tamen ad minimum persuasum nobis habeamus plurimarum consuetudinum, constitutionum, bonarumque legum belli pacisque tempore observandarum auctorem & fundatorem fuisse Henricum, quibus id tandem effecit, ut Barbarorum furores & creberrimas incursiones non tantummodo cohiberet, sed in felicem etiam & tranquillum statum Patriam reponeret.

§. VII. Hæc singularis prudentia & quæ eam insecuta est insignis fortitudo magnam nominis sui famam & gloriam non apud suos tantum, sed externos quoque & confines Principes, & si plus dicendum est, apud ipsum Imperatorem, quem tamen inimicum habebat, Henrico conciliavit. Conradus enim morti vicinus, vocatis ad se fratribus & cognatis suis, Majoribus scilicet Francorum, Concordiam in eligendo Rege suavit, atque ut Henricum eligerent, Jussit (quemadmodum designationem hanc describit *supplementum Reginonis*) Nimirum non suæ tantum terræ, sed toti mundo necessarius erat hic Princeps, adeoque tantæ utilitatis ut documenta dare posset, non satis erat liberæ potestatis Principem esse, sed Imperatoris quoque defungi officio.

§. VIII.

§. VIII. Quòd verò Henricum præ aliis eligeret, non una movebatur ratione Conradus. Harum enim privata alia, alia publica constitui potest, *Ill*a erat studium referendæ gratiæ; cum enim ante Conradum insignia Imperatoria ad Imperii Statibus deferrentur ad Ottonem Henrici nostri Patrem, recusavit hic illa & recusationem grandi suâ senectâ, quæ imparem se faciat tanto sustinendo oneri, excusavit, prætereâ autem Autor extitit suatorq; ut oblatum honorem in fortissimum Franconiæ Ducem Conradum tanquam vegetiorem derivarent. Sicuti itaq; Ottonis suffragatione ad Imperium ipse pervenerat, ita ejus memoriam in eligendo filio nobili quâdam imitatione honorare voluit. *Hæc* verò eaq; primaria Salus erat Reipublicæ, quæ uti aliâs suprema in civitate Lex esse debeat, ita eâdem Conradus moriturus non sine laude sua immortaliter ducebatur. Videbat enim afflictissimum Germaniæ totiusq; adeò Imperii statum, quem intestinæ Principum discordiæ, frequentesq; barbarorum incursiones talem hætenus effecerant, videbat insuper fore ut majori periculo patria exponeretur per Principum ambitionem, nullò successore, dum adhuc spiraret, designato; huic itaq; morbo ut medelam afferret & maturè in longitudinem consuleret, quæsiit ille successorem non in domo, sed in Republica, fortissimum scilicet & præstantissimum Henricum Saxonem, æmulum quondam suum & inimicum gravissimum, laudabili hoc exemplo orbem docturus, virtutem & in hoste laudandam esse. Melius itaq; Conradus Reipublicæ consuluit, quàm Alexander olim M., qui quidem successorem voluit esse Optimum, sed hoc in certâ persona non designato, nihil aliud nisi pomum Eridos tot tantisq; æmulis cum maxima Monarchiæ recens à se conditæ ruina objecit, *Curtius* L. 10. c. 5. aut Trajanus, quem

multi dicunt, teste *Ælio Spartiano*, in animo id habuisse, ut exemplo Macedonis sine certo successore moreretur, *vid. Loccenii not. ad Curt. l. c.* in eo contra Conradus à prudentia Augusti non alienus fuit, qui anxio animo certum sibi heredem ac successorem Imperii eumque; quidem non, è Republ. sed è domo & familia (rectene an secus, *vide disceptantem Bœclerum ad Tacit. l. Ann. 3. annot. 1.*) Tiberium quærebat: is enim communis Prudentum consensus est, expedire Reip. ut Principes & Monarchæ adhuc viventes certos successores sibi adsciscant, prout de Maximâ hac Politica ex *Berneggero, Bœclero, Scipione Ammirato, Freinhemio, Lipsio & aliis copiosè disserit Celeberrimus Bosius in Tiberio Cesare.*

§. IX. Henricum Conradi auspiciis Successorem declaratum esse, jam vidimus, quibus verò solennitatibus id factum sit, nunc subjungamus. Conradus, postquam fratri Eberhardo persuasit, ut cederet Henrico, transmisit huic per illum cæterosque Proceres regiæ dignitatis ornamenta, symbola scilicet traditi imperii, veluti coronam gemmis pretiosissimis gravatam, sceptrum & cuncta regalia indumenta, quæ in summa ita commemorat *Liuthprandus l. 2. c. 7.* sed plenius *Witichindus l. 1. Annal.* lanceam sacram, armillas aureas cum chlamyde, gladium Veterum Regum & diadema; quibus imperii insignibus transmissis & ab Henrico acceptis, solennis secuta est designatio, quam *Witichindus l. c.* ita describit: *Congregatis Principibus natu majoribus Exercitus Francorum in loco qui dicitur Fridisleri (Fridislaria) designavit eum Regem coram omni populo Francorum atque Saxonum.* Unctionem tamen, usitatam alias ceremoniam ex modestia recusavit Henricus, quam quidem non sprexit, tamen eam non suscepit, ut iterum loquitur *Witichindus l. c.* cui suffragantur *Ditmarus l. 1. & alii antiquioris temporis Historici*, quippe satis ipsi videbatur

batur, si præ Majoribus suis Rex dicatur ab designetur.

§. X. Verum sicuti sub purpura latent graves curæ, à diademate magni proveniunt labores, ita Henricus cum splendidis his insignibus tale accepit imperium, quod invasionibus ac deprædationibus barbarorum hostium longè lateq; patebat. Idq; inde evenisse legitur, quod Antecessores in Imperio partim intestinis diffidiis implicati, partim segnes, partim ad resistendum imbelles fuerint. Mirum proinde non est, quod ad firmum sibi Imperium stabiliendum per arma & horrendas Martis duri vices viam patefacere opus habuerit. Nam præter reportata ab Hungaris trophæa, quorum infra pluribus mentio fiet, & intestinorum hostium mansuefactionem vicinas gentes non tantum sibi subjecit ac tributarias fecit, quæ fuere *Abotriti, Vulzi, Hevelli, Dalmanci, Bohemi, Redarii*, sed contra Normannos etiam, Vandalos, Scythas, Sarmatos atq; Hungaros, Margraviatus Slesvicensem, Brandenburgensem & Misnensem condidit, quò suæ provinciæ ab ipsorum incurfionibus tutæ essent ac immunes.

§. XI. His præclarè gestis Patris Patriæ elógio honoratus & ab exercitu, more militari, Imperator consalutatus est noster Henricus, *vid. Bæclerus in eius vita*. Nec immeritò; Princeps enim fuit in pace & in bello optimus, terror hostium, nationis suæ amor & delictum, Heros invictus, nulli secundus, cui longiorem vitam singuli ac omnes exoptassent, nisi mors votum intercidisset, mortuus enim in Miminleve & Quedlinburgi in Basilicâ S. Petri trigesimo sexto seculi decimi anno, postquam vixerat annos sexaginta, & in Imperio sedecim, sepultus est non sine planctu & lacrymis multarum gentium. *vid. Ditmari Chronicon l. 1.* Tantum de Henrico; cuius tamen facta ut uno quasi intuitu

tu oboculos sibi ponere queat Lector beneuolus, disticha
quædam sculpturæ ejus æneæ in *Georgii Hahnii Historiâ
Martisburgicâ* subscripta adjicere hoc loco libuit sequen-
tia:

Saxoniæ primus post Francos impero Cæsar

HEINRICUS, Patriæ gloria prima mea.

Aucupor, aucupiumq; meum sunt Romula Regna:

Cura sed aucupii non fuit ista mei.

Fortuna securâ nitet, diis proxima Virtus:

Quem cupidis ultrò passibus ambit honos.

Arnulphum vici sine vi, sine sanguine Bojum:

Hunnorum salæripa cruore rubet.

Te quoq; Russe ferox, te Vandale, teq; Boeme,

Et te Mars domuit, Dalmata sæve, meus.

Fine diem placido, Patriæ Pater, arbiter orbis,

Multa o beo Cæsar post benefacta senex.

§. XII. Altera dimicantium pars sunt Hungari, ea
ipsa gens, cujus stemma adhuc hodiè superest, easque
possidet provincias, in quibus Germanos inter & Turcas
dudum dolor! variaque fortuna decertatum est, & quod
magis deplorari debet, diu optatus armorum finis nec
tum sperari potest. Cujus verò Originis, postquam multos
semper & varios regio hæc habuit incolas, sint, de quibus
loquimur, Hungari, à nobis jam erit inquirendum.

§. XIII. Primi, quos Veterum monumenta pro-
dunt, incoluisse eam memorantur Pannonii, gens Celtica,
qui tamen non confundendi sunt cum illis, quos Græci o-
lim Pæones vocare consueverunt, prout *Dion* errorem
hunc ostendit, cui quòd Regioni huic præfuerit fidem in hac
re

re non denegandam esse vult *Clariff. Buno in Notis ad Cluv.*
Introd. Geograph. Hi jugum tandem Romanum ferre co-
acti sunt, donec sub Imperii illius inclinationem ad inte-
ritum Gothi Pannoniam invaderent, quos tamen mox
expulerunt Hunni, gens ferocissima, quæ postquam ex
Scythia in Europam migravit, & creato Rege Attila, per-
vastatâ prius Thraciâ & utraqve Moesiâ, Macedonia, &
toto propè Illyrico, sicut testatur *Tabero Dalmata*, rerum
ac originum earum gentium peritissimus, ita commen-
datus à *Boxhornio Hist. Univ. pag. 309.* Italis, Francis, & West-
gothis maximas clades, terrarumq; desolationes intulit,
ipsa deinceps superata suorumq; cladem in campis
Galliæ Catalaunicis maximam perpeffa & tandem unde ve-
nerat redire coacta est, provincia interea in prædam Go-
thorum breviq; post Longobardorum cedente.

§. XIV. Sed currente seculo II. X. secunda Hunno-
rum in Pannoniam migratio sub septem Ducibus accidit,
contra quos Carolus M. ejusq; Successores gravissima bella
gesserunt. Qui postquam per integrum & quod excur-
rit seculum deleri à Francis non poterant, deleti & ex-
tincti sunt à gente forte consanguinea, ab Ugris five Juh-
ris, qui vesperascente seculo IX. & imperante Arnulpho
ex ultima Scythia & à Glaciali Oceano provecti totum
quod nunc Hungariæ dicitur regnum occuparunt, Hun-
norumque reliquiis mixti nomen in eò constituere, quo
etiam nunc Hungari indigitantur, quàmvis *Aventino* pla-
cuerit simplicem Ugrorum appellationem retinere,
annotante Boxhornio l. c. p. 304. Conf. ex vetustis Bonfinius in Re-
bus Hungaricis, ex recentioribus Cluv. Geogr. p. 287. Hornii Orb.
Polit. de Memor. Hungar. p. 412.

§. XV.

§. XV. Hi Ugrifive Hungari sunt, qui horrendam olim vastitatem stragemq; Germaniæ intulerunt, sed Tyrannidis tandem suæ pœnas gravissima sua interneccione luerunt, Henricorum & Ottonum arma divinâ gratiâ secundante. Quorum cladem inter præcipuas alias ad Martisburgum factam sectione sequente pro Instituto prolixius describemus.

§. XVI. Progrediendum jam nobis est ad locum, prope quem insignis illa clades Hungaris est illata, utpote cujus aliqualis saltem cognitio non omninò præmittenda videtur; Ille verò ipse est Martisburgum, in confiniis Saxoniae, Misniae ac Thuringiæ situm, urbs, cujus laudes ac felicitates meminisse amor naturalis suadet imò præcipit. Quàmvis enim illa eleganti ædificiorum ordine aut nitore ac magnificâ structurâ non abundet, (cujus defectus causa esse potest ingens calamitas, quam ex creberrimis & sanè luctuosis incendiis haud unâ vice cepit, siquidem intra Annorum CLVI. spatium ab anno scilicet 1323. usque ad 1497. quintâ vice totam ferme igne consumtam esse *Ernestus Brotuffius Civis Martisburgicus refert in Chronico suo Patrio L. 2. cap. 53.* Ut taceam reliqua ab illò tempore ad nostrum usque perpessa incendia, non sine luctu & voto melioris fati cogitanda) Urbs tamen in nostra provincia ferme nulla est, quæ magnitudine, vetustate, solo fœcundò, amœno situ, profluentis celebritate, arce nitidâ, egregio templo, Schola illustri, aliisque commoditatibus pluribus palmam ipsi præripiat. Et sicut olim vetustissimorum Principum, Comitum, quid? Imperatorum Saxonum sede inclaruit Martisburgum, (fuit enim una ex quinque Palatinis civitas, in quæ suprema olim unâ cum aulis & curiis Imperatorum translata sæpe esse Comitia, ex *Brotuffio L. 1. c. 10.* discimus) Ita hodie lucem

cem suam fceneratur omnem à Serenissimo CHRISTI-
ANO, Saxonix Duce, Principum Sole ac Gloria, quem
annos jam septuaginta (addat Deus multò plures) natum
Germanix Proceres merito suum venerantur Parentem,
& à Serenissimâ Ejus Coniuge, CHRISTIANA, Celsissi-
mo Conjugum Pari, & ut multa paucis dicam, verè Chri-
stianissimo; nec minores etiam lucis radios sortitur à
Celsissimo Filio Primogenito. CHRISTIANO, quem in
spem probi ac eruditi orbis cum Celsissimâ Coniuge diu
superititem esse jubeat divina Clementiâ; Ipsiusque Cel-
situdinis Celsissima Fratrum Triga, AUGUSTO, PHILIP-
PO & HENRICO, Excellentissimis belli Heroibus, Pater-
narumq; & Avitarum Virtutum æmulis felicissimis, vitæ
longævitate dignissimis. Nec silentio hac vice obnubilanda
sunt Sidera in Polo Martisburgico Clarissima, Heroes puto
inclyti, eminentesq; utriusq; Reipublicæ, Sacræ ac Politi-
cæ Atlantes, quorum illustria nomina Dissertationi huic
inscribere honori ducere gloriæq; insigni, nisi jamdu-
dum docta per ora Virum Ea deportasset Fama, ac ego ipse
vererer, ut omnibus institutum hocce meum placeret.

§. XVII. Ut verò eò clarius vetustissimæ hujus
Urbis constent monumenta, ab ipsis primis, quod ajunt,
incunabulis initium facere necesse habemus. Nomen
fanè primâ fronte indicat, à Marte id accepisse Martis-
burgum juxta versum veterem:

*Misniacis celebri famâ notissima terris
Urbs Vetus, à Martis nomine dicta.*

Eqvidem non omnes in ejus denominationis origine
consentiunt Topographi. Qui enim ad antiquissima
recurrunt secula, à Marso, sexto Germanorum Rege, vel
à Marsis prisco ejus nationis populo, ita à suo Rege ap-
pellato,

C

pellato, conditam dictamq; volunt Martisburgensium,
Coloniam, restauratam verò demum & renovatam esse
à Druso Germanico, fortissimo Romanorum Duce, sicut
volunt *Aventinus L. I. Annal. Bojor. fol. 42. Cyriacus Spangen-*
berg in Chron. Mansfeld. L. I. c. II. & 28. Sched. de Diis Germanis
Syngram. 4. c. 4. & alii. Verùm cum satis liquidò firma-
que fide ex historiâ id constare nequeat, unde enim tam
priscae originis certitudo? tutius asseri posse arbitramur,
si communem Chronicorum calculum secuti primordia
Martisburgi in Drusi Seculum circa nati nostri Salvato-
ris tempora reponamus, ita enim ex *Sabellico L. 8. ennead.*
10. & aliis optimis ac vetustissimis monumentis scribitur
inter alios jam nominatus *Brotuffius L. I. c. 5.* Cur verò
Martisburgum voluerit appellari Drusus, inde id evenit,
quòd in monte, attestante *Aenea Sylviò* munitissimam ar-
cem fanumque extruxerit, suoq; Deo, Marti consecrave-
rit. Rem ita sese habere caret omni dubio, cum nostris
temporibus Capella illa Drusi demum diruta sit, quam
Capellam Paganorum seu Capellam Martis nominare
semper consueverunt cives. Unde est quòd apud plu-
res ac rerum Patriarum peritiores auctores semper le-
gatur Martisburgum, arx, castellum, Capella Martis, item
apud nonnullos Aresburgum vel Eresburgum nullo alio
indicio, quàm quòd à Marte nomen habeat, ἀρης enim
Græcis Mars est, vid. *Munster. Cosmograph. L. 5. pag. 1172.*
Krantz. Saxon. L. 3. c. 15. Quòd verò *Ligurinus L. 1.* Mar-
tisburgum vocet Martinopolim, id non à Marte est, sicut
Jacobus Spiegelius in Scholiis ad h. l. commentatur, sed à Mar-
tino, quia ceu *Brotuffius L. I. c. 6.* refert, Episcopi veteri
Castello Drusi in detestationem Idoli Martis Capellam S.
Martini superinstruxerint. Hoc tamen addimus nos
non

non adeò rigidos oppugnatores futuros esse, si quis nomen tantùm, non verò ortum Martisburgi à Marso velit deducere, siquidem non improbabiliter cum supra *citt. Spangemb. & Sched.* credimus Marsum illum Martem esse, quem superstiosa postmodum gentilitas in Deorum Catalogum retulit, & propter egregia in bellò facta armorum Patronum venerata est.

§. XVIII. Suam proinde Originem primam Druso Germanico debet Martisburgum, qui Germanos reliquos suam adhuc libertatem defendentes & semel morigeris defectionem suadentes debellaturus in his quoque oris appulit, utque veteres incolas quos non profligaverat sub obsequio retineret, Castellum in monte, qui ad arcendos hostes valde opportunus videbatur, extruxit & in illo Romanorum coloniam reliquit. Quæ relatio à fide historica non aliena esse videtur. Notum enim est, Drusum in superiori Germania ad Rhenum, Moselam, imò in inferiori quoque ad Albim & Salam multa construxisse castella ac munimenta, nullum ergo dubium, quin vetustissima quoque arx Martis, satis quippe comodo ac amœnò locò sita, sua ab illo trahat exordia. Comprobant id monumenta ad nos translata vetustissima. *Ditmarus L. 1.* Castellum vocat nobile ac vetustum opus Romanorum. *Eckhardus 22.* Episcopus Martisburgensis restauratione dignam ideò judicavit urbem, quòd omnium antiquissima sit, ab ipsis Romanis orta & condita. *Brotuffius l. 2. c. 27.* Memoria quoque digni sunt versus *Conradi Celtis in Hercynio de Trophæis Drusianis.*

*Sala sed Arctoïs perlabitur Albis aquas
Et Sala quæ Drusigestat præclara trophæa
Argentes petit Albis aquas &c.*

C 2

Per

Per quæ trophæa *Celtem* victorias Drusi de Albingis & Sa-
lingis reportatas, & ipsum castellum *Marsburg* indicare,
auctor est *Brotuff. l. i. e. 4.* qui integro hoc capite ortum
à nobis jam delineatum satis prolixè ostendit.

§. XIX. Utramq; sententiam §. 17. adductam im-
pugnat *Dresserus de Urbibus Germaniæ p. 440.* Primam qui-
dem, quæ à Marso originem deducit, tribus rationibus
1.) quod Reges Germanici à *Beroso* enumerati in suspici-
one à multis ponantur. 2.) Consentaneum sit,
illo tempore Germaniam usque ad Salam neque fre-
quentatam neque cultam adeò fuisse, tantum enim à Di-
ludio aberant anni 453. usque ad Marsum. 3.) Autor
fide dignus plane nullus possit referri. Et hætenus qui-
dem rectè. Alteram verò, quæ nostra erat, quod attinet,
argumenta, quæ impugnat eam, tam firma non sunt, ut à
sententia semel confirmata abducere nos valeant. Equi-
dem Julium Cæsarem auctorem non fuisse, facile ipsi lar-
gimur, sed neque Duces Ejus aut Successoris Augusti, non
æquè concedi potest. Videamus ejus argumenta, 1.) Dicit,
αἰδέσασθαι esse hanc opinionem, Resp. negando, antiqua
enim monumenta aliud probantia §. 17. & 18. adduximus,
2.) Julium Cæsarem ad Albim non pervenisse. Resp. posse
hoc concedi, benè tamen Albis & Salæ oras attigerunt
Successores ejus, quod §. anteced. probatum est. 3.) Ex
Tacito adducit sub Vespasiano demum nullas adhuc Ger-
maniæ populis urbes habitatas esse, nec conjunctas sed
dispersas eorum sedes fuisse, adeoque ante id tempus non
potuisse existere, ut ipse scribit, *Merseburgum*, Resp. Sit
prius ita, quid inde? neque enim à Germanis conditum
& inhabitatum est, sed à Colonia Romanorum, qui fe-
roces hanc & hinc inde dissipatam gentem eò tutius in
officio continere debebant; qui mos ejusmodi Castella ex-
truendi

truendi per omnem Germaniam, quam occupaverant, apud eos obtinebat. Nec obstat quod expulsi sæpè à Germanis iterum fuerint Romani, arcesq: destructæ ac desolatae, sicut objicit *Dresserus*, rudera tamen ac semel imposita nomina ipsis remanserunt, quæ cum restauratione illorum iterum fuere postmodum assumptæ. Quæ si non essent, nec à Merbigio aut Meroveo Francorum ac Thuringorum Rege extructum & appellatum dici potest Merseburgum, quod quidem ille vult, siquidem mox audiemus post hujus Regis tempora dirutum illud fuisse, diuque jacuisse desolatum. Quàmvis autem *Dresserus* à Merbigio appellatum velit Merseburgum quasi Merbigsburg & per Syncopen Mersburg, non tamen omninò rejicere vult appellationem Martisburgi à Marte, seu à Martis Sacello, in eo tamen discrepans, quod Idolum illud & Sacellum Martis non Romani sed ipsi Germani in sublimi illo loco erexerint, cujus Idoli cultum, (sicuti cæterorum, Crodonis, Irmenseul & Zuttiberi) apud hos quoque usitatum fuisse memorat. Cujus rei si ostendi possit veritas, quam ex *Tacito* quoque asserere vult *Brotuffius*, possemus ex nostra opinione statuere, consuetum hunc Germanorum cultum eò magis movisse Drusum ad novam hanc arcem in honorem Martis ædificandam.

§. XX. Justo fortè prolixiores fuimus in eruenda urbis Martiæ origine, quam tamen ad ejus demonstrandam antiquitatem adeò leviter attingere vix potuimus. Sed ulterius jam indaganda sunt ejus incrementa, variis tamen casibus obnoxia. Cùm enim Drusi tempore tenuia sine dubio haberet primordia, augmenta accepit ab Antonino Pio, qui primus mœnia addidit, & postmodum seculo V. à Meroveo, qui usque ad fluviolum Gislam versus Meridiem, & usque ad agros benè cultos

versus occidentem & septentrionem sitos, non tantum ampliavit eam sed fortioribus quoque mœnibus aggeribusque profundis cinxit ac circumdedit. Quæ munimenta subsequente injuria temporis collapsa sunt, usque dum Carolus M. postquam Saxones vicit ea restauravit, imò in dubium vocari non debet per optimum istum Principem insignem accessionem ad hanc urbem esse factam, utpote qui Religionis Christianæ sedem primariam hîc collocavit & fundamenta Ecclesiæ jecit extracto templo S. Johannis Evangelistæ cum Monasterio Regularium Canonicorum, quibus de alimentis ac sustentatione benignissimè prospexit. Et ut præsidium quoque certum verus Dei cultus illic haberet, adjunxit Comitatum, cui Salinas Halæ attribuit & accessionibus non parvis eundem auxit. A quo tempore Comites Martisburgici in hac urbe dominati sunt, extincti tandem in Esico sub Imperio Henrici II.

§. XXI. Postea cum Hungari per totam Germaniam irruptiones fecissent multasque urbes miserè depopulati essent, constat huic quoque urbi plurimum ab iis detrimenti esse allatum. Sed postquam in hac vicinia Gens illa immanitate barbara deleta erat, permotus est Henricus Auceps ut eam restauraret, muros reficeret, templum S. Johannis Evangelistæ renovaret & in Castello Drusi sedem aulæ suæ collocaret. In consiliis quoque habebat laudatissimus Imperator Episcopatum hîc loci fundare, sed morte præventus propositi executionem demandavit filio Ottoni, qui post Patrem Imperator factus, non tantum ampliavit Martisburgum à Gisla (qui fluviolus nunc in duas ferme æquales partes urbem scindit) ad montem usq; Sixti, & muro, cujus partes quædam reliquæ sunt, circumdedit, sed Paterni
quo

quoq; moniti bene memor Episcopatus fundamenta posuit, electo in Præsulem Bosone, quem ordine interrupto usq; ad Michaellem Sidonium secuti sunt quinque & quadraginta Episcopi, quorum catalogum longa serie pertexit *Brotuffius L. 2. & ex eò Dresserus P. 4. Isag. à f. 237. ad 254.*

§. XXII. Ex his notari merentur *Giselaus*, in ordine II. qui ArchiEpiscopatu Magdeburgensi inhians bona multa Ecclesiæ Martisburgensis ad Magdeburgensem transtulit, alia alienavit, alia oppignoravit, Episcopatumque adeò attenuavit atque diminuit, ut in Abbatiam five cœnobium S. Benedicti converterit, & ArchiPræsuli Magdeburgico subjecerit. Quò in statu cum annos 22. stetisset Episcopatus, actum omnino de ejus salute fuisset nisi Henricus Secundus in pristinam dignitatem illum vindicasset, ob id alter seu novus fundator appellatus, à quò tempore servatus est integer hic Præsulatus & multis subinde donationibus adauctus. *Ditmarus IV.* Auctor est Chronici, quod Ditmari nomine typis hodie expressum est. Incipit illud ab Henrico Aucupe vel potius Ottone I. & desinit in Henrico II. hoc Præsule Henricus Imperator fundamenta cathedralis templi ad S. Laurentium sua manu jecit & campanas duas magnas confici curavit. *Wernerus XI.* qui cum Rudolpho Svevo contra Henricum IV. in prælium abiens vix cum eo Martisburgum refugere potuit, ubi Rudolphus abscissâ manu mortuus est, ejusque cadaver in choro templi cathedralis sepultum, cujus monumentum itemque perfida manus hodiè ostenditur. Hic Episcopus auctor quoq; extitit monasterii S. Petri ordinis S. Benedicti extracti in loco veteris castri (Alteburg) quod Drusus Augusti Dux expugnavit, pulsus ex eò Paganis. *Eckardus, XXII.* suis impensis refecit muros Martisburgi passim collo-

collapsos, frustra renitente Theodorico Marchione Mis-
niae. *Rudolphus XXIII.* Conditor extitit templi in novo
foro ante Urbem, quod à Thoma Cantuariensi Episco-
po, cujus socius hic Rudolphus fuit, nomen habet. *Geve-
hardus XXIX.* templum S. Sixti in collegiatam Ecclesiam
convertit, eodem Præsule Parochiale templum S. Maxi-
mi, à civibus primum ædificatum, postea sub *Johanne à
Bosen, XXXIX.* iterum destructum & sequentibus aliquot
annis denuò constructum est. *Nicolaus, XXXIIX.* ma-
gna prudentia Episcopatum administravit & locupleta-
vit. Hic primus Cancellarius fuit Lipsiensis hujus Aca-
demiae, cui à Pontifice auctoritas potestasque instituendi
examina tribuendique titulos atque honores Academi-
cos concessa est, quo Jure hodiernum utuntur Admini-
stratores Episcopatus Martisburgensis. *Thilo à Trotta,
XLI.* vir magnificentia clarus accessionem magnam re-
dituum & ædificiorum adjunxit Diœcesi & exstruxit no-
bile Palatium Episcopale, arcem hodiè nitidam lateque
conspicuum. *Michael Heldingius Sidonius, XLVI.* & ultimus
in Comitibus Augustæ Anno 1548. religionem Romano
Catholicam professus, Carolo V. sic commendatus fuit,
ut ad scribendam *Inter Religionis* formulam unâ cum *Pflu-
gio* adhiberetur. Tametsi autem à reformatæ Ecclesiæ
doctrinâ alienum animum habuit *Sidonius*, nihilo tamen
minus in Diœcesi Martisburgensi purum Evangelii ver-
bum liberè prædicatum est & Cœna Dominica rectè ad-
ministrata. Post Michaelem nullos amplius Episcopos
illa habuit, nisi Alexandrum minorennem Augusti Ele-
ctoris filium, ita tamen ut Pater Administrationem in se
susceperit, misso illic Superintendente, & constituto Di-
casterio. In Administratione Augustum secutus est
Christianus I. & *Johannes Georgius I.* & qui hodiè Epi-
sco-

scopatus Postulatus Administrator est CHRISTIANUS,
Princeps ac Dominus meus Clementissimus.

SECTIO ALTERA.

§. XXIII. Vidimus hætenus quid de Henricò, quid de Hungaris, quid de Martisburgo cognitu scituq; necessarium fuit, restat, ut terminos illos nunc jungamus & Henricum ut VICTOREM Hungarorum apud Martisburgum paulò accuratius ob oculos ponamus nostros. Prælium ergo hoc ac certamen inter vetustiora longè gravissimum ac celeberrimum alterâ hâc sectione plenius describendum erit. In qua descriptione iusta quoque ut utamur methodo, ad antecedentia, concomitantia & consequentia illius cladis respiciamus necesse est.

§. XXIV. Jam ante hæc tempora queis cum Hungaris confligit Henricus, multoties Barbari illi Germaniam infestaverant, quibus claustra Germaniæ primum aperuisse dicitur Arnulphus, dum fines Imperii adversus illos non satis munivit, nec cum posset Moravos in ordinem redegit; cuius delicti suo tempore pœnam illum luisse (postquam ex venenò, quod sua vehementia totum corpus putrefactione incurabili infecerat, accedente quoque *Φθισιάσει*, interiit) quidam tradunt *vid. Math. Theat. Hist. in Arnulpho*. Primam tamen irruptionem, cui quidem aliquam eamque gravem sub Arnulpho factam præmittit *Bonfinius reb. Hung. decad. 1. L. 10.* Ludovico IV. Imperante fecerant in Germaniam, quam velut ignis quidam prorumpens, ferè totam peragrarunt, immani cum sævitiâ, quibus quidem fortiter tum temporis

D

ris

ris bis sese opposuit Imperator, sed fucceſſu admodum infelici; prima enim vice dolo ab his circumventus victorq; in infidias præcipitatus magnâ clade affectus eſt; alterâ verò etſi contrâ atrociffimos hoſtes, qvî Bavariam vaſtando ac depopulando nullum finem faciebant, ingenti exercitu profectus fit, congreſſusq; cum illis continuo trium dierum prælio certaverit, victus tamen fugatusq; tandem perdidit præcipuam & florentiffimam partem Nobilitatis Germanicæ, qvâ victoria elati Hungari, nemine amplius illis reſiſtente, Thuringiam quoqve, occiſo Burchardo, & reliqvam Germaniam incendiis & cædibus vaſtarunt, captivosqve crudeliſſimè tractarunt. Imperator in tantis anguſtiis ſe conſtitutum videns, ut Germaniam his calamitatibus miſerrimis liberaret, magnis, quos obtulit, theſauris pacem ab hoſtibus redemit, certoqve tributo annuo excuſiones hæ & vaſtationes ut inhiherentur, rogavit ac tandem impetravit.

§, XXV. Sed non adeo multum temporis præterfluxerat, cum rapaces hi vultures, cognitâ Imperatoris morte, revolarent: poſtqvam enim videbant illi ob novam novi Imperatoris, Conradi Franciæ Ducis electionem civilibus bellis omnia ardere, arreptâ hâc occasione noluerunt amplius contenti eſſe annuo tributo, cum Ludovico IV. olim pacto, ſed egreſſi ſuis terris in Bavariam primùm irruptionem fecere, & qvâmvīs Virtute Conradi bis prælio victi & recedere ab initio coacti ſint, reverſi tamen & denuò Anno Chr. 917. Germaniam adorti Saxoniam, Thuringiam & Franciam, Rhenoq; deinceps tranſmiſſo, Lotharingiam & Alſatiam, Baſileâ everſa horribili graſſatione percurrerunt & Imperatorem ad pacem quibuscunq; conditionibus redimendam annua penſione adegerunt, prout hæc omnia qvæ recenſuimus ex *Aventi-*

nè,

nō, *Bonfinio* aliisq; prolixius constant & accurato calculo computata sunt à *Chytræo in Chronolog. p. 294.*

§. XXVI, Ulterius cum Conradum quoq; è vivis sublatum audivissent Hungari, in ejusq; locum subvectū esse Henricum Saxonem, dubii erant, num consueta ab eo tributa poscerent, aut ipsi potius suis incursionibus ea ex Saxonia arcesserent. Prioris postulati recusationem cum timerent, aut forte per Legatos suos, quod alii volunt, ab Imperatore jamjam expectarent, placuit posterius consilium arripere seseq; mutuo ad illud exequendum cohortari. Verba quibus se invicem allocuti sunt, „ *Luitprandus L. 2. c. 8.* refert hoc modo: Rex forte novus no-
„ vis uti legibus cupit, copiis igitur collectis non minimis
„ ascendamus scrutemurque debita utrum Henricus Rex
„ velit tributa persolvere. Quod si non, ut credimus, Regi-
„ bus dissentit à cæteris, regnum ejus cæde atque immen-
„ sis depopulemur incendiis; non Bajoariorum sed Saxo-
„ num, ubi Rex ipse est, primò fines occupemus, ut si forte
„ (quod non speramus) congregare exercitum velit, neq;
„ de Lotharingia, neque de Svevia, neque de Bajoaria, eī
„ maturè possit occurrere; Sed & Saxonum ac Thuringo-
„ rum terra facilè depopulatur, quæ nec montibus adjuta
„ nec firmissimis oppidis est munita.

§. XXVII. Sic conceptâ audaciâ ex claustris suis velut crabrones irritati Anno 922. agmine denso evolarunt, collectisque in focios Scythis, Sarmatis, Vandalis, numerosum ac horribilem constituerunt exercitum, cujus pars una in Italiam, altera in Sveviam & Saxoniam excursionem fecit, tantâ quidem cum velocitate, ut citius adesse sentirentur ingrati hospites, quàm quicquam de ipsorum adventu audiretur. Rex Henricus erat tunc temporis in præsidio Werlaon, Urbis tum præcipuæ in

Vandalia, ubi hodiè Ducatus Mecklenburgensis est, rudi-
que ac exiguo, quem habebat, militi non satis fudit adver-
sus insolentissimam & ferocissimam gentem, adeoque
impuniè hæc grassabatur ad mare usque Balticum, urbi-
bus evastatis incendia, rapinas miscebat, Magdeburgum
solo æqvabat, Bremensem civitatem post expugnationem
cremabat igne, aliaque committebat facinora dictu &
auditu horrenda. Imperator tamen quantum poterat,
restitit, & levibus saltim præliis, graviora cum tutò non
auderet, vexavit Hungaros pervastantes, majores sibi
progressus pollicitus, si prædâ opimâ onustum & patrias
sedes repetentem hostem à tergò expectaret. Quod
Strategema suo successu non caruit; Latitans enim
cum fortissimo suo milite, quem interea collegerat, in
præsidio Martisburgico, regredientem hostem per Oster-
landiam ex improvise aggressus est, captoque uno ex
Principibus ad pacis conditiones illum adegit. Hunga-
ri quidem Principem suum magno auri pondere ad re-
demtionem postularunt, sed Imperator, auro contempto,
captum reddere pollicitus est, si æternam pacem aut ali-
quot saltem annorum inducias paciscerentur. Conve-
nit igitur inter utrosque, utrobique urgente necessitate, de
annis novem eâ lege, ut quotannis adhuc munera quæ-
dam Hungaris offerrent. vid. *Krantz. Saxon. L. 3. cap. 7.*
Spangenberg. Chron. Querfurtens. p. 92. & imprimis Mansfeldens.
cap. 120.

§. XXIX. Accuratè & probè observandum hîc
est, modò memoratum prælium primum fuisse Henrico
cum Hungaris, adeoque benè distingui debere ab altero
illo longè graviori A. 933. confecto, ad quod ex anti-
quâ historiâ eruendum pro ratione instituti nostri, nos
mox accingemus; quod quidem fecere *Sigebertus* ac *Luith-
brandus*

brandus, qui magnam illam Hungarorum apud Martis-
burgum cladem ante inducias novennales ponunt, con-
funduntque cum illâ quam §. *antec.* delineavimus. Fa-
tendum quidem est cum *Bælero in Henrici vitâ* Chrono-
logiam incursionum Hungaricarum valdè discrepare,
quod ipse ex *Alberto Stadenfi*, *Reginonis Supplemento* multis
probat, prætereaque dispiciendum esse dicit, quomo-
do illius varietas inter se convenire possit; Interim ta-
men si plures & præstantiores rerum Patriarum olim
observatores sequamur, iisque accuratissimam *Chytræi*
Chronologiam jungamus, necessitas nulla apparet, cur
ab ordine ac numero semel à nobis §. §. *antecedd.* posi-
to recedere jam debeamus.

§. XXIX. Ut ad institutum nunc redeamus, post-
quam sic Imperator induciarum in novem annos pacti-
one fessis rebus Patriæ consulisset, consilium iniit cum
amicis suis ac Proceribus Germaniæ, quomodo futuris
annis malo huic, quod præfagiebat, tutò sit prævenien-
dum & Patria tot tantisque Barbarorum incursionibus
liberanda? Itaque pro singulari suâ prudentiâ potissi-
mum hoc ipsi videbatur, ut interea temporis maxima
opera collocaretur in selegendis & exercendis militibus,
in condocendo equitatu, in extruendis ac munien-
dis oppidis & Castellis, omnique reliquo apparatu mili-
tari comparando.

§. XXX. Cùm enim induciarum finis appeteret
& prævideret Henricus, nova ac plura tributa Hungaros
esse postulaturos, coacto suæ gentis concilio demonstra-
vit, quantum ad id temporis Hungarica tributa exhau-
sissent, nihil jam præter templorum opes & Deo dica-
tos thesauros superesse testatur, illisne exfatiare inimico-
rum Dei avaritiam, an Deum in raptores adiutorem spe-

rare consultius esset, eligere jusfit. Oratio, quâ affatus est suos, cum lectu digna sit, apponi visa est, quo stylo eam concepit *Witichindus L. I. rerum Saxon. cap. 18.* Olim
“ ex omni parte confusum, à quantis periculis impe-
“ rium vestrum modò sit liberum, vos ipsi melius nostis,
“ qui civilibus discordiis & externis bellis toties attriti
“ laborabatis. At nunc propitia nobis summa divinita-
“ te, nostro labore, vestraque Virtute pacatum colle-
“ ctumque cernitis, Barbaros superatos & servituti sub-
“ jectos. Quod superest, necesse habemus, ut contra
“ communes hostes A vares (Hungaros) pariter simul
“ confurgamus. Vos hucusque filios filiasque vestras
“ exspoliavi, & ærarium eorum replevi, nunc templa
“ templorumque ministros ut exspoliam, cogor, absque
“ nudis corporibus nullâ nobis aliâ remanente pecunia.
“ Consulite igitur vobis ipsis & quid super hac re nobis
“ sit faciendum eligite, thesaurum divinis officiis sancti-
“ ficatum tollamne & dabo pro nostrâ redemptione Dei
“ inimicis? an certe addam cultui divino pecunia hono-
“ rem, ut ab ipso potiùs redimamur, qui verè noster ex-
“ tat Creator ac Redemptor? Ad hæc populus, oculis in
cælum levatis, à Deo vero ac vivo omnibus modis se re-
dimi desiderare dixit, cumque operam suam Imperatori
contra gentem acerrimam sanctissimè promisisset & ju-
rejurando firmasset, dimissus est.

§. XXXI. Perspectâ nunc omnium pronâ vo-
luntate fortiter cum hoste pugnandi, annua pensa ac tri-
buta, oblata hæctenus donativi, ut vocant, nomine, quò ob-
æratos Rex sibi haberet, ut loquitur *Krantzius L. 3. Saxon.*
cap. 8. Hungaris renunciatur & posthac denegantur,
cumque illi missis pro more nunciis dona solita tan-
quam perpetua, imò multò plura, ac majora postularent
per-

pernegavit Imperator jam exercitato pugnaeq; avido m-
lite animis auctior. Nihilominus cum desistunt Le-
gati sed postulata continuant, additis ludibriis minisque;
si vacui ac re infectâ dimitterentur, redituros se esse &
subversuros omnia: Imperator tam impudentem auda-
ciam diutius perferre non consuetus & à suis admoni-
tus decreti in nupero consilio facti vocavit ad se lega-
tos, iisque muneris loco cum projecisset canem villati-
cum auribus & cauda mutilum, scabie sordidum, tali in-
structione dimisit: Hunc esse illum canem quem mune-
ris nomine Regi suo remittere voluerit, aliud quod sol-
veret tributum se suumque populum nulli subjectum
nescire; Quod si, adjecit, ipsorum Rex nollet hac dona-
tione esse contentus, pro lubitu sibi forsitan gratiora ipse
ex Saxonia posset repetere; ita rem narrat *Aventinus*, &
ex eò plerique alii. *Wuichindus* tamen Dalamanensis simi-
le factum, aliter tamen descriptum tribuit. Hungari, ,,
inquit, iter agentes per Dalamaniam ab antiquis o- ,,
pem petunt amicis. Illi verò scientes eos festinare ad ,,
Saxoniam, Saxonesque ad pugnandum cum eis para- ,,
tos, pinguißimum pro munere eis projiciunt canem. ,,
Addunt alii interpretationem: ut pingui cane satiaren-
tur, qui macro Henrici noluißent acquiescere. Ad
quam relationem respicere videtur *Krantzius*, quando l. c.
talia ponit verba: Hungari vicinos Dalmatas admo- ,,
nent, ut arma jungant ad ulciscendos se, commeatus im- ,,
portent. Illi ubi in Saxones pugnandum audiverunt, ,,
cum contumelia Hungaros reliquerunt, quod arma jam ,,
brevis Saxonum comperissent.

§. XXXII. Indignabundi Hungarorum nuncii ad
suos reversi, rem omnem, sicuti gesta erat, Regi suo ac
conterraneis narrabant, qui furore perciti ob illatum tam
nobi-

nobili genti probrum (canes enim tributi nomine pendere ignominiosum eâ ætate habebatur, teste *Krantzio l. 3. Saxon. c. 5.*) bellum in Saxones decernunt minanturque subvertere omnia. Dictum factum. Ad arma illic se parant, utque bene parato ac denso agmine proruere possint, in socios secum sumunt Scythas, Vandalos, Russos, Polonos, Tartaros, Sarmatas, populos immanitate barbaros & efferatos, qui in unum exercitum collecti numerosæ multitudinis erant & conficiebant tercentena millia, vel, quod probabiliori fide *Aventinus* narrat, centena millia equitum peditumque. Cùm essent in viâ constituti, ad similem belli expeditionem persuadere conabantur Dalamancos, qui apparatus Saxonum militares metuentes auxilium non modò non tulerunt, sed probrosis quoque contumeliis, quarum §. antec. mentio facta est, profecuti eos sunt, ast non omninò impunè, quippe Hungari Captivos ex iis fecerunt, quot & quoscunque in transcurso poterant, iisque cum præda satis opimâ in suam patriam remissis, reliquas terras miserè devastarunt.

§. XXXIII. Sed non supererat ad aliam pugnam festinantibus diu in his provinciis commorandi tempus: volebant enim inopinato & antequam resistendi daretur copia, Saxones opprimere ac delere funditus. Itaque postquam injuriam acrius vindicandi occasionem sibi reservassent & ridicula satis vociferatione profecuti essent amicos, teste *Vitichindo*, quò potuerunt, repente impetu intrant fines Thuringorum, illam totam terram hostiliter & more plusquam inhumano pervagantes. Affertur Henrico volipes nuncius de hostium insolenti agmine, ipse autem jam gravissimâ valetudine detinebatur, nihilominus tamen supra vires egit, ac vix verba nunciantis audierat, cùm directis per Saxoniam

nun-

nunciis post triduum quicquid poterat capitali sententia
se adire præcipit. Validissimo igitur per quatrimum
collecto exercitu (est enim Saxonum mos laudandus at-
que imitandus, hæc in parenthesi addit *Liuthprandus L. 2.*
cap. 8. quatenus annum post unum atque duodecimum
nemini militum bello deesse contingat) etsi corporis in-
validus viribus, tamen mentis vigore animatus, prout
valuit, equum adscendit, atque collectis in unum copiis,
hujusmodi verbis ad pugnandi rabiem excitavit:

*Inclita Saxonum ceu leo frendens
Bella per innumera gens erat olim.
Restitit hæc Carolo ense cruento,
Qui sibimet totum straverat orbem,
Fugit & hic victus Victor ubique,
Quod sibi nos rediens subdidit omnes,
Id Domini Pietas gessit, ob hoc quòd
Participes voluit esse salutis.
Nunc mala Turcorum nescia Christi
Gens, inimica Deo, gaudet in omnem
Ecclesie populum ducere ferrum.
Proh dolor! Heroes heus mage quod nunc
Subdere nostra volunt colla tributo,
Sumite nunc animos more virili:
Membra secare, precor, viq; ferire
Sit furor heus ardens, sancta cupido:
Hæc stygias referant munera ad undas
Et calidos numerent igne trientes.*

Haftenus *Liuthprandus* loco sæpius citato, qui exhortationes,
queis ad pugna suorū accendit animos Imperator, ele-
ganti ordine ulterius ibidem persequitur.

E

§. XXXIV. Interea temporis non quiescebant Hungari, à cædibus, rapinis, incendiis, sed pervasatâ Thuringiâ divisisq; fociis alii, quinquaginta millia militū, ad occidentem pergebant, ab occidente & meridie Saxoniam quærentes intrare. Sed Saxones pariter cum Thuringis congregati, inito cum eis certamine Jecheburgi propè Sondershusum, cæsis Ducibus, cæteros illius exercitus per totam illam Regionem hinc inde errare fecerunt: quorū alii fame consumti, alii frigore dissoluti, alii aut cæsi aut capti, sicut digni erant, miserrimè perierunt. Altera verò pars exercitus versus Orientem ad Salam fluvium cursum suū dirigebat, cumq; audiret præpotentem ac divitem Comitem Gvidonem, cui Soror Henrici, Ottoni ex concubinâ nata, nupserat, vicinam urbem Martisburgum inhabitare, ubi multum auri argentiq; esset repositum, cœpit & annis est magna vi eam oppugnare.

§. XXXV. Cujus urbis obsidio cum statim per repentinum nuncium Imperatori cum exercitu suo, qualem ex suis ditionibus hæreditariis quatuor dierum spatio collegerat, quiq; ex decem & octo millibus peditum, bisq; mille equitibus constabat, Magdeburgi tum commoranti annunciaretur, illeq; simul adjiceret, hostes non modicam parvulorum ac mulierum secum circumducere prædam; Virorum insuper immensam fecisse stragem, dumque à decimo & deinceps anno neminem esse superstitem relicturos juraverint, per hoc terrorem non parvum incussisse Saxonibus; nihilominus Imperator, ut erat animi constans, talibus minis non terretur, verum magis magisque, ut pro patriâ pugnare ac laudabiliter, si necesse fit, occumbere velint, milites exhortatur. Hungari interea ex Captis Vincisq; an & quando impugnari debeant, accuratè sciscitantur; cumque ab his non aliter fieri

fieri posse diceretur, emissis exploratoribus, quando eventurum illud sit exactè exquiritur. Modò erant profecti exploratores, Henricum Imperatorem cum suo exercitu juxtà præfatum oppidum Martisburgum contemplantur, quo tam citò & cum terrore viso ad suos vix poterant redire, adventum exercitus nunciaturi.

§. XXXVI. Haftenus magno nisu ac molimine Urbem oppugnaverant Hungari, sed nondum ob præsidii Virtutem expugnaverant, quam quidem occupaturi tandem fuissent, referente *Witichindo*, nisi nox visum, Henrici adventus speratum successum pugnantibus impedivisset, adeoque falsum est, quod ex *Witichindo* defendere vult *Brotuffius* L. 1. c. 15. urbem fuisse captam, dirutam, incensam ac plane everfam, merito falsæ allegationis convictus à *Spangenberg Chron. Mansfeld. p. 168.* Quapropter eâ nocte audientes illi de Casu sociorum, & Imperatoris adventu cum valido exercitu; (nam castra hic metatus erat sua juxta locum humilem qui dicebatur *Rieth*, *Witichindo* *Riaede*, situm arces inter *Scopaviensem* & *Bündorfensem*, ubi hodiè ampla ac elegans piscina conspicitur, non verò ad Salam, ubi nunc pagus *Keuschberg*, quod ex *Witichindo* non rectè intellecto denuò vult *Brotuffius* l. c.) timore perculsi insolito, solutâ obsidione more suo igni fumoque ingenti agmina hinc inde dispersa collegerunt & fugam arripuerunt. Surgente die hæc resciscens Imperator, ne impunè nondumque castigati elaberentur, ex suis insequi eos jussit legionem quandam Thuringorum ex equite pediteque mixtam, quæ, donec ipse cum reliquo milite adveniret, remoras fugitivo hosti injicere in mandatis habebat, sed eo ipso alas potius illi addebat, ita ut oppidò pauci in fuga capti aut trucidati fuerint. Interim tamen, cum milliare trans Salam fugiendo ab-

solvissent, pedem iterum figunt firmum, castraque sua, aggeribus ac vallibus probe munita, ponunt pagum inter Scölen & adjacentem Sylvulam quercinam (Scölnitzer Hölzgen). Imperator, Martisburgum transiens, à tergo statim insequitur, & sua quoque castra non procul ab illis collocat, vallemque cum utroque monte ad latus adjacente à se occupatum à fronte profundis ac latis aggeribus, ut tutior esset, munit, à tergo ad reficiendum exercitum habens Salam. Castrorum ex utraque parte adhuc hodiè quædam apparent vestigia manifesto indicio, insignem hîc loci quondam factam esse cladem.

§. XXXVII. Antequam verò in Ejus enarratione ulterius progrediamur, necesse erit ut cum Henrico Exercitum bene, imò optimè exercitatum perlustremus, & quæ ante prælium gesta sunt notabiliora, breviter referamus. Jamjam Magdeburgi milites suos viginti mille, benigno pariter, si citò venirent, ac severo, si non, edicto coactos omnibus ludis equestribus ac exercitiis militaribus instruxerat Imperator, adeoque non mirandum est, quod eorum fortitudine ac pugnandi prompta voluntate fretus hostes hucusque secutus fuerit. Nihilominus tamen Deus ulterius ex machinâ apparebat. Sequentem enim die, quo huc advenerat, manè nuncium accipit de numerosâ Copiarum auxiliarium multitudine, Cæsaris mandatum expectante in monte *Trebenitz* ad rivulum *Rippach* non procul ab eo loco, ubi hodie *Leucopetra* sita est. Erat autem illa multitudo ex Italiâ, Franciâ Orientali, Galliâ, Bavariâ, Sveviâ, Austriâ, Voithlandiâ, Thuringiâ, Hassiâ aliisque Provinciis collecta, postquam dudum ante de Hungarorum incurfionibus ac Imperatoris postulato auxilio audiverat. Hic illam ad se convocavit, divisitque in quatuor agmina, quorum primo præfuit Conradus

radus Palatinus Rheni, Secundo Hermannus Dux Sveviæ,
tertio Bertoldus Dux Baviariæ, quarto Conradus Dux Fran-
coniæ. Quilibet sub vexillis suis habuit plurimos Comi-
tes aliorumque Principum ac statuum Copias auxiliares.
Quintum agmen constituerunt Imperatoris copiæ, cum
quibus se sponte conjunxerant multi Principes ac Co-
mites, ex omnibus locis accedentes. Hujus Caput ac
supremus Dux constitutus fuit Waltherus, Comes in
Hoye. Quod si omnium Ducum, Principum, Comi-
tum ac Dynastarum nomina apponere vellemus, multas
suppleremus paginas. Otium in eò labore nobis fecit
Brotufius in suo Chronicò, qui prolixum Catalogum eorum,
qui prælio interfuerunt, dignitate eminentium confecit,
ac talem, qualem Historicorum aliàs nemo, quia, ut ipse
fatetur, ex monumento ejus loci, ubi Clades facta & de-
scripta est, illum in suum Chronicon retulit. Brotufio
apponendus est *Spangenberg in Chron. Mansfeld. p. 170, seqq.*;
qui Rixneri insuper fidem dubio loco reponit, eò quod
multos Principes interfuisse prælio referat, quibus Chri-
stiana injungit nomina, cum tamen constare debeat,
Germanos prisca suis nominibus acriter inhæsisse ac vix
permisisse, ut nomina Hebraica, Gæca sibi imponerentur,
imò Seris demùm seculis nomina, Adami, Abrahami,
Georgii, Philippi & alia esse introducta ac recepta.

§. XXXIIX. Quæ ad tantam Nobilium multitudi-
nem, ut in tam periculosum prælium simul condescende-
rent, permovit ratio, non una ab Historicis allegatur. Qvos-
dam permouit cupido peritiam bellicam sibi acqvirendi,
qvosdam communis periculi propulsio, alios incitavit
obligatio vel ex foedere, vel ex vicinitate, vel consanguini-
tate aut affinitate suborta, reliqui, quàmvis adhuc hostes
essent Christiani nominis, quorum maxima quoque cele-



bratur frequentia, amicitiam simulabant, ne simul cum Hungaris pro Imperii Germanici hostibus haberentur, alioq; deinceps tempore bello gravi funestoq; peterentur.

§. XXXIX. Aderat nunc frequens ac numerosus exercitus, sexaginta & novem millia hominum, omnes ad præliandum parati ac cupidi. Reliquum modo erat, ut justa acies decerneretur, de quâ ordinandâ Imperator postquam cum Ducibus suis consultasset, tertio die post accessum cum primo diluculo Copias suas ex castris in apertum campum eduxit, utque feliciter omnia succederent, ad Deum, in cujus solius manibus Victoria posita est, ardenti voto se convertit, imploratoque ejus auxilio votum fecit, se post felicem proelii eventum turpem ac nefandam Simoniam in Imperio velle extirpare; præterea ut militem quoque ad preces idoneum redderet, castra ab impudicis mulieribus ac reliquo famulitio purgavit, unde loco nomen injunctum est *Keuschberg*; scorta verò illa trans Salam migrarunt in pagum, qui ab iis nomen accepisse dicitur *Scortleben*. De cætero, ut solebat, denuò exhortatus est militem, ut spem suam divinæ Clementiæ committeret, divinumq; sibi auxilium quemadmodum in aliis præliis adesse non dubitaret. Addidit, communes omnium hostes esse Hungaros, ad vindictam Patriæ Parentumq; solummodò cogitaret; quos citò terga vertere visurus esset, si modo masculè certando persisteret. His optimis verbis erecti milites, & Imperatorem, quamvis imbellis ex ægritudine esset, in primis, mediis & ultimis versantem videntes, coramq; eo Angelum, cujus effigie signum maximum erat insignitum, conceperunt fiduciam constantiamq; magnam.

§. XL. Contra Hungari causæ suæ metuentes, nihilq; nisi fugam meditantés cum viderent animos inesse Germanis, atq; continuis certaminis præludiis ad pugnam
ab iis

ab iis provocari, præclusaq; aufugiendi viâ, aut pereun-
dum sibi esse aut certando salutem quærendam secum
statuerent, erupeunt tandem suamq; aciem ordinarunt.
Imperator, qui ita contundere Hungaros sibi proposue-
rat, ut nunquam post hac redirent, insidias struxit & exer-
citatissimum militem, durante prælio à latere in hostium
agmina irrupturum, occultavit. Ipse autem ante belli in-
choationem suis huiusmodi sapiens ac salubre consilium
„ dedit annotante *Luithprando*: Quum ad Martis præludium
„ cœperitis properare, nemo socium velociori, quāquam
„ habeat, attentet eqvo præire, verum clypeis altrinsecus
„ operti primos super scuta sagittarum ictus recipite; dein-
„ de cursu rapido impetuq; vehementissimo super eos ir-
„ ruite, quatenus non prius vobis sagittarum ictus secundo
„ possint emittere, quoad vestrorum sibi armorum sentiant
„ vulnera pervenisse. Jam ubi sub mutuum adspectum
venere exercitus, clamor exoritur tesseræ loco militaris, à
Christianis quidem *Kyrie eleison*, ab Hungaris autem perfidi
tartareus stridor insonat *hui, hui, hui!* manus deinde con-
feruntur.

§. XLI. Saxones igitur admonitionis saluberrimæ
non immemores ordinata æqualiter acie currunt, nec est
qui velociori transeat eqvo tardiozem, verum clypeis, ut
dixerat Imperator prudentissimus, altrinsecus cooperti,
sagittarum super clypeos recipiunt ictus innocuos; dein-
de super hos cursu præpeti veniunt; adeo ut eorum prius
vita cum gemitu fugeret, quā secundo jaculorum ful-
mina mitterentur. Hic apparuit, quid supernum à Chri-
stianis imploratum possit auxilium, quid etiam Ducis pru-
dentia, quid in armis militis fiducia ferat. Prælium cum
primâ luce cœptum durat in seram usq; noctem, sternun-
tur perfidi sine numero, capiuntur multi, reliqui, quibus
phale-

phalerarum decor armorumque honor non tutelæ, sed oneri erant, abjectis arcubus, demissis spiculis, phaleris etiam, quò expeditius equi currerent profectis fugæ solummodò dant operam. Verùm Omnipotens Deus, qui eis pugnandi audaciam abstulerat, fugiendi etiam copiam plerisque negavit. Pauci enim, laceræ velut navis fragmenta colligentes, noctibus se subdixerunt ingrati tristissimæ cladis apud suos nuncii. Sic præclara parta erat Victoria, hostes cæsi humo jacebant, pœnâ hâc tyrannidis suæ dignissimi, apud victores omnes exoriebatur jubilum ac plausus! Hanc proinde cladem, tempore quinquagesimarum Anno Domini 933. factam, memoria dignam esse, quis non videt?

§. XLII. Ad finem Dissertationis cùm jam nobis sit properandum, restat ut paucis subjungamus, Hungaricam cladem infecuta quæ sunt, memorabilia. Primum ergò locum inter ea jure sibi occupat. *I. Gratiarum actio*, sicuti enim Imperator optimè noverat, cœlesti munere insignem ac mirabilem victoriam provenire, ita hâc obtentâ, soli Deo felicem prælii eventum adscripsit, quapropter in Ejus honorem solenne Festum Martisburgi multis jubilis celebravit, in quò præsentem populo *εὐχαριστία* Deo O. M. dicta est Cantilenâ, *Te Deum laudamus*, ardenti devotione sonante, amabilis strepitus in cœlum usque intonuit. *Spangenberg Chron. Mansfeld. p. 173.* Sed non verbis tantùm, verùm re ipsa quoq; decentes Deo decrevit gratias, dum elegans templum in memoriam tam insignis à Deo acceptæ victoriæ in monte *Keuschberg* extrui curavit.

§. XLIII. Gratiarum actionem infecuta est *II. In occisis humanis captivisque liberandis cura ac Clementia*, quam hostibus etiam non denegavit. Sequentem enim die post factam

Etiam stragem Hungarorum cadavera deprædari prius
iussit, postmodum terrâ, quâ prostrata jacebant, obrui ac
sepeliri; Christianorum verò corpora ab illis separata in
Imperatoris castra transportata sunt, ibiq; more honesto
ac Christiano sepulta. Inter illa repertum quoq; cadaver
Efici, Comitis in Ballenstedt & Ascaniæ, cujus ossa & ibi
molliter quiescunt. Postmodum, quos in hostium Ca-
stris ex Christianis Captivos invenit, omnes liberavit, &
quos ipse quoq; ceperat Hungaros, sumto prius ab iis ju-
rejurando, nudos quidem ac exspoliates dimisit. Se-
ptem tamen ex istis inusitatam hanc clementiam non
contigisse, memorat *Aventinus in Chron. Bavaric*: scribit e-
nim Imperatorem illos truncatis manibus, abscissisq; au-
ribus & nasis in patriam suam remisisse, injuncto hoc
mandato, ut Conterraneos suos admonerent, ne posthac
terras has repeterent. Quemadmodum etiam sequen-
tibus seculis contigit *III. Non iterata Hungarorum Regressio*.
Postquam enim hi magno suo malo serius lugerent, suc-
cumbere se oportuisse fortitudini Henrici, expeditiones
postmodum suas, quoniam quiescere non poterant, con-
tra Græcos, Bulgaros aliosq; adjacentes populos parave-
runt, quo successu? hujus loci non est indagare; legi pot-
est *Bonfinius in rebus Hungaricis*. Et quàmvis sub Ottone I.
fortunam suam erga Germanos denuò explorarint, in
has tamen terras nunquam redierunt, imo in Baviariâ
prope Augustam ita ab Imperatore contusi sunt, ut Ger-
maniam deinceps omnem intactam planè & invexatam
reliquerint.

§. XLIV. Porro notari meretur IV. Triumphii
pictura seu *ζωγραφία*; illum cum tam laude quam me-
moria dignum Henricus reputaret, Martisburgi in supe-
riori cœnaculo illustris domus per *ζωγραφίαν* i. e. pi-
cturam

F

Eturam notari præcepit, de quâ *Luithprandus* scribit, rem
veram potius quàm verisimilem in eâ videri. Ostensa
deinde hæc pictura post multa secula est multis Principi-
bus, in honorem Imperatoris asservata. *V. Imperatoris Li-
beralitas & Magnificentia*: maximam enim prædæ partem,
(reliquam militi concessam) vertit in usus pauperum,
tributumque, quod hostibus dare consuevit, divino cultui
mancipavit & largitionibus pauperum quoque deservire
constituit. *VI. Imperatoris insignis laus & deprecatio*: nam
non tantum à suis Pater Patriæ, Rerum Dominus, Impe-
ratorque salutatus est, sed fama tantæ Victoriæ orbem
quoque pervasit, magnumque nomen Henrico per ex-
teras provincias acquisivit. Adierunt illum Regno-
rum Proceres, fidem ejus implorantes, inter quos Heri-
bertus, gener Hugonis Ducis in Franciâ, cum ei Rudol-
phus Rex adversaretur, ut apud illum sibi esset præsidio,
supplicavit. Ille verò solitâ sibi libertate nihil negabat
amicis, quod dono dignum judicabat. Profectus in Gal-
liam Rex Regem alloquitur, perfectoque negotio rever-
titur in Saxoniam. *Hæc Witichindus & ex eô Albertus
Krantzius.*

§. XLV. De quibus nobis non adeò certè, verè
tamen constat, aut quæ falsa fide ad nos perlata sunt *VII.
Simonie extirpatio*. Jam in §. 38. notavimus, Henricum an-
te prælium fecisse votum de extirpandâ Simoniacâ hæ-
resi, teste *Luithprando L. 2. c. 2.* quis ergo dubitet, legibus
postea huic negotio prospectum esse? nec obstat, quod
earum legum nulla apud nos hodiè appareant vestigia,
desiderantur enim alia statuta plura, quibus tum civilia,
tum Ecclesiastica ordinavit. Ita post victoriam divino
cultui & pauperibus destinaverat Imperator, quod hosti-
bus tributi nomine datum & tunc repetitum erat, illudq;
ut de-

ut decreverat, factum fuisse §. 43. asseruimus; nihilominus legum ac statutorum, quæ rata voluit esse omnia, nulla amplius supersunt monumenta. *Bæclerus in Henrico pag. 263.*

§. XLVI. Ultimo loco ponenda est *VIII. Hastiludiorum seu Torneamentorum Ordinatio.* Quâ verò fide illa accipienda sit, jam videbimus. *Goldastus in Constitution.* addit diploma, continens statuta & privilegia ludorum equestrium sive hastiludiorum, quæ & Torneamenta vocant & Henricum instituisse post Hungarorum cladem volunt, sed supposititium illud esse facile poterit ostendi: invaluit enim illa opinio solius *Rixneri* testimonio, cujus fidem *Goldastus* alibi in dubium vocat. Ast magnum falsitatis argumentum ex alto silentio Historicorum illius ævi petitur. Dicit quidem *Witichindus* Henricum in exercitiis ludi tantâ eminentiâ superasse omnes, ut terrorem cæteris ostentaret; verum intelligit Monachus non ludos illos solennes, posterioribus seculis usitatos, sed alia exercitia militaria, quibus Nobilitatem ac reliquam militiam in hostium terrorem instruxit, deinde nihil addit de formula & legibus ludorum, itemque de genere & modo exercendi. Insuper quantum discrepat annotatio temporis? *Rixnerus* (in *Thurnierbuche*) annum 939. alii 938, *Cuspinianus* 940. natalibus harum legum deputant, manifesto errore, post Henrici obitum, qui placidè obdormivit anno 836. quod cum non nemo videret, 935. posuit, ast frustra, ubi destituimur monumentorum fide. Rectius *Aventinus*, diligentissimus alias investigator Antiquitatis patriæ rem confictam prætereundo damnavit, adeoque & nos eam hoc loco præterimus.

§. XLVII. Ita bono cum Deo & quantum per angustum temporis spatium licuit, laborem cœptum absolvisse.

94
1613
viffemus iis adductis, quæ antiquorum Scriptorum monu-
menta, quorum quidem copia nobis fieri potuit, ad deli-
neandam hiftoriam patriam fuppeditarunt. Nihil jam
reftat nifi ut Deo O. M. gratias agamus maximas, quod
patriis olim finibus truculentiffimos illos hoftes arcere
fuumq; populum ab eorum fævitiâ liberare voluerit, de-
votè infuper precantes, velit modernos quoque Christia-
ni nominis hoftes, Turcas Tartarosq; ita contundere, ut
à finibus Germaniæ divexandis poft hac abftinere femper
neceffe habeant. Quod reliquum eft, eidem benigniffi-
mo Deo pro concessis clementer viribus fit
dicta, Laus & Gloria!

FINIS.

M A N T I S S A.

I. Quando Pontificii Scriptores Henricum Aucu-
pem cum Conrado I Catalogo Imperatorum expungunt,
eò quod Coronationem non acceperint, falſis utuntur
principiis, Nam

II. Coronatio ad Imperatoris Constitutionem ab-
ſolutè neceſſaria non eſt.

III. Fuit olim Imperatorum coronatio triplex,
nulla tamen facta eſt pro Galliâ, qui Hornii error eſt, ſed
prima Aquisgrani aut alio commodiori Loco Regnum
Germanicum, altera Mediolani Regnum Italicum ſ. Lon-
gobardicum & tertia Romæ ſuſcepta Imperialem dignita-
tem designabat.

IV. Jam ante Henricum & Conradum dignitas Im-
perialis apud Germanos fuit.

V. Datur Republica mixta.

VI. Et talis non eſt monſtroſa.

ULB Halle

3

002 100 835



Inches 1 2 3 4 5 6 7 8
Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19

Kodak
LICENSED PRODUCT

© The Tiffen Company, 2000

KODAK Color Control Patches

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

